



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 110. Mahometis milites ad ultimam expugnationem urbis instructi

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)



Sæcul. XV.  
A.C. 1453.

§. CX.

*Mahometis milites ad ultimam expugnationem urbis instructi.*

Jussit Mahometes toto ante triduo exercitum suum jejunare a summo mane usque ad noctem, lumina, facesque accendere, & preces ad Deum publicas pro victoria fundere. Janissaros suos adhortatus dixit, bellum jamjam ad gloriæ summam pervenisse, non nisi ad colligendos illius fructus, & ad laboris præmium, quod in hac urbe undique jam aperta nullo negotio acquirere valerent, ultimos adhibendos esse conatus, se omnes Constantinopolitanæ urbis divitias suis militibus penitus relinquere, nil sibi præter murorum ambitum, & domos, quas etiam parta victoria ad eorum habitacula paratas teneret, reservaturum. Addebat, lumen illud, quod e coelo super urbem demissum ad tertiam noctem visum esset, certum fore excidii urbis portentum, indiciumque, Deum, qui hucusque urbem protexisset, jam illam deserturum, voluntate ejus visibili hoc signo clarius manifestata. Hæc Sultani oratio, ac præprimis optimæ prædæ spes adeo omnem militum timorem absterfit, ut cuncti ulterioris moræ impatientes ad urbis irruptionem educi uno ore peterent; hinc  
Maho-



Mahometes paulo post misso Feciali Constantinum jam ultimo ad urbis deditio-  
nem invitavit, veniam vitæ, libertatem-  
que pollicitus; quod si renueret, facile armorum vi consensum extorsurus esset. Accepto Constantini responso, Turcarum castra die sanctissimæ Triadi sacro id est, vigesimo septimo Maji facibus ubique accensis resplenduerunt, eoquod Mahometani ad jejunii a Sultano indicti solemnities sese accingerent. Cum vero Constantinus Imperator ab Halibassa clam certior fieret, quod proximo biduo Turcæ terra marique urbem aggressuri essent, ad sustinendos hostium impulsus necessaria dedit imperia, sollicitudinem stimulantem hujus Basiliæ nuntio, significantis, brevi obsidionem esse solvendam, si Græci hunc ultimum impetum obfirmato resistendi animo eluderent. Solemnes pariter supplicationes decrevit Imperator, & in augustissimo S. Sophiæ, id est, Sapientiæ templo unacum pluribus aliis sacrosanctam Eucharistiam percepit. Die autem vigesima octava ejusdem Mensis omnes copiarum Præfectos ad se vocatos adhortabatur, omnique rationum pondere Viros jam sponte sua ad vincendum vel moriendum paratos excitabat, ut rem in hoc discriminis articulo strenue gererent. Tum ipse arma sumebat, & quosdam ex militum robore delectos ducens,  
omnes

Sæcul. XV.  
A. C. 1453.

Phranz.  
Chronic. c. 14.



**Sæcul. XV.** omnes castræ stationes ac militum ordi-  
A.C. 1453. nes obibat, si quid deesset, in tempore  
 provisurus; denique, cum Turcas jamjam  
 castra movere, ac ad pugnam accingi  
 cognosceret, ipse stricto gladio ad muri  
 ruinas se locavit, hostem excepturus.  
 Sultanus vero medius inter decem Ja-  
 nissarorum millia generoso vectus equo  
 centena millia Equitum duxit, qui tamen  
 a tergo Sultani haud multum distantes  
 longo ordine murorum ambitum dime-  
 tiebantur, peditum copias, qui idem loci  
 spatium ad latus Sultani occupabant,  
 defensuri.

## §. CXI.

*Oppugnatio extrema Urbis Constantinopolitaneæ.*

Cunctis ita dispositis, & tormentis jam-  
 jam ad munimentorum cornu admo-  
 tis, die vigesima nona Maji tertia diei  
 hora antelucana per minus idoneos, ma-  
 gisque infirmos Turcas cæpta est urbis  
 oppugnatio, ut eis debellandis Christiani  
 lassati, facilius a recens supervenienti-  
 bus Turcarum copiis superarentur, ac hi  
 super horum cadaverum strues planiore  
 gressu incederent. Jam alteram horam  
 prima hæc velitatio tenuit, & fossæ inter  
 prima murorum septa, corporibus infeli-  
 cis hujus Turcarum sæcis, quos fustibus  
 &